

# Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Catvlli,|| Tibvlli,|| Properti[i]|| Nova Editio.|| Iosesphvs  
Scaliger|| Ivl. Caesaris F.|| recensuit.|| Eiusdem in  
eosdem Castigationum Liber.|| Ad|| Cl. Pvteanvm  
Consiliarium Regium|| in suprema ...**

**Catullus, Gaius Valerius  
Tibullus, Albius  
Propertius, Sextus**

**Lutetiae, 1577**

In Tertivm Librvm Albi Tibvlli.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-258**

Sperat & a fixa posse redire cruce.  
 Spem in suis prebere caput paloque ligatus,  
 Quum micat ante oculos stricta securis, habet.  
 Sperat & in seua victus gladiator arena,  
 Sit licet infesto pollice turba minax.

Pag. 118, 2 NE vincas dura puella deam.) Dea Spes. Theognis:  
 ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μὴν θεὸς ἐὼδλη ἔνεστ.

ἄλλοι δ' ἔλυμπον δ' ἐκπερλιπόντες ἔβαν.

Quidius hoc distichon vertit:

Spes igitur pæna menti, Græcine, lenandæ  
 Non est ex toto nulla relicta mee.

Hæc Dea, quum fugerent sceleratas numina terras,  
 In diis inuisa sola remansit humo.

## IN TERTIVM LIBRVM ALBI TIBVLLI.

Pag. 119, 4 **E**XORIE NS nostris hic fuit) Lege auctore scriptura,  
 Hinc fuit. Atta. - annum novum  
 Voluerunt esse primum mensem Martium.

10 GAVDEAT, vt digna est, versibus illa meis) Meis est li-  
 quido scriptum in nostro libro, vt & omnes editiones ha-  
 bent. Nihil enim impedit, Tibullum ipsum ista sibi dice-  
 re. Et, si diligenter inspiciamus, non loquuntur hic Musæ.

12 PVMICET & canas) Lege Pumix & canas. Pumix,  
 alis, germin, rumin, pro pumex, ales, germen, rumen scri-  
 bere solebant.

13 TENVIS fistigia chartæ) αραπόκωλον intelligit. si-  
 cut inum chartæ ἐραπόκωλον. Martialis: Spectas ἐραπο-  
 κώλιον Senere. Perperam hodie legitur ἐραποκωλικον. In  
 charta κῶλα sunt partes adglutinatae, quos scapos voca-  
 bant. vnde regiae chartæ μακρόκωλα vocabantur ab am-  
 plitudine. Ab eo membranae pelles καὶ διφθέραι, quia vnum  
 tantum κῶλον habent, nec adglutinantur, vt chartæ. pro-  
 pterea vocantur στωμάτια a Græcis, nimirum quia vnum  
 corpusculum sunt, & non plura membra, vt chartæ.

k.j.

23 SED primum nympham] Lege ex veteri scriptura:  
Sed primum meritam longa donate salute.  
Longum saluere, longum valere dicebant.

Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.

25 HÆC tibi vir quondam] Ouidius:

Alloquor Hermione nuper fratremque virumque,  
Nunc fratrem. nomen coniugis alter habet.

Neque enim tantum, quod ἀδελφός esset, fratrem vocauit:  
sed quia amatorium est ita se vocare: vt vides hic apud  
Tibullum.

Pag. 120, 13 T O T mala perpesse tot superesse meæ] Corruptus  
locus. Restitue auctore libro nostro:

Tot mala perpesse tedia nota meæ.

Tædia vitæ meæ perpesse tot mala.

19 M O E R E A T hæc genero] Hellenismus est. Euripides:  
κ' ἔν δὲ μὴνας θεῖς ἐστὶν κελός ἐμοῖς.

20 P R A E F A T A E ante meos manes] Et mæsta supremum  
voce ciemus. Euripides:

ἄσπασατ' ἑξιοῦσται ὑστέρτω ὁ δόν.

æod. A N I M A M Q V E rogata] Ita habent veteres edi-  
tiones, & membrana nostra. pro quo substituerunt, ani-  
mamque precate. quia videbant Rogari non dici, vt precari.  
Venuisti homines, qui animam cum hoc verbo, non cum  
P R A E F A T A E connectebant. Nam est, Prefate ante meos  
manes, animamque. deinde: - rigate Perfuseque pias ante li-  
quore manus. Ita enim legendum ex corrupto illo rogata.  
Animam præfari quid sit ostendunt multa in veterum li-  
bris passim, vt - magna manus ter voce vocavi.

26 P O S T hæc carbafis humorem tollere velis] Repone  
ventis, vt etiam nonnullæ editiones habebant. Significat  
collecta in linteo ventilari solita, vt exurgeretur humor,  
quo sparsa erant.

32 D E M O N S T R E T litera] Litera, ἑπιγραφή. Supra:  
Indicet vt nomen litera facta tuum.

Pag. 121, 2 D O L O R huic & cura Neeræ] Corrupta hæc sunt ab  
imperitis hominibus, qui statim quæ nesciunt, delent. Ve-  
tus scriptura fuit: - dolor huic, & caussa Neeræ Coniugis ere-  
ptæ caussa perire fuit. Elegantia antiqua. Caussa Neeræ est

Næra ipsa. Iuriconsulti *causam bonorum*, hoc est bona.

Propertius: *Ite rates curuæ, & leti texite causam.*

hoc est letum. nam male legitur *causas*. Mille talium poteram adducere, si nescirem esse multos eruditos, qui sciunt me verum loqui. Eleganter ergo repetit *τὸ causa* pene diuerso sensu, *caussa Næra Coniugis erepta causa perire fuit*. hoc est, in causa fuit coniunx Næra erepta, vt ille perierit.

II SED *tecum vt longe sociarem*] Profecto legendum, *societatem*. & bene huic rei conuenit quod Lucretius præcipit, e vita vt saturum coniuuam recedere. Nam vulgaris lectio nihil ad sensum poetæ. Sequitur enim,

*Inque tuo caderet nostra senecta sita,*

*Tunc quum permenso defunctus tempore lucis, &c.*

Hoc enim plane satiatum non sociatum ostendit.

15 NAM *grauæ quid prodest*] Eclogæ habebant:

*Quid prodesse potest pondus mihi diuitis auri?*

24 INVIDIA *quæ falso*] Longe melior sententia in Excerptis.

*Et quæ præterea populus miratur, in illis*

*Inuidia est. falso plurima vulgus amat.*

Rotunde, & venuste. sed nondum, vt puro, plane purgatus est locus. Legendum enim:

*Est quæ præterea populus miratur, in illis*

*Inuidia est. - Est quæ, ἐστὶν ἢ ἐστὶν ἢ ἕτα. manifestus hellenismus. Propertius:*

*Est quibus Eleæ concurrat palma quadrigæ.*

*Est quibus in celeres gloria nata pedes.*

*Est quibus, ἐστὶν οἷς ἕτα. ἐστὶν οἷς.* Hoc est Quibusdam. Ait ergo Tibullus quædam populum admirari, quia alij ea mirantur potius, quam quod ea reuera per se amanda sint.

*Ἐστὶν ἕτα*, inquit, est quædam, quare populus illa miretur. Ea sunt, quæ Epicurus ἐστὶν ἕτα, vocat. hoc est, vt vertit Cicero, populariter laudata.

Pag. 112, 8 QUAEQUE *futura neunt*] Neunt, non a Neo, sed a Neco. vt Abnuco. Ennius:

*Certare abnuco, metuo legionibus labem.*

Et quanuis sic secundæ coniugationis videntur, tamen abnuco non facit abnuent, vt docent, sed abnuent. Sic hic

k.ij.

*Nemt*, non *Nent*. Hic Grammatista volui esse, quia hoc non est in alijs scriptoribus vulgare.

10 *D I V E S* *in ignava*) Et *diues* & *Dis* ab eadem mente, a qua Græcis *πλουτων*, & *πλουτής*.

13 *Q V A E* *tulit hesternā*) Longe melius liber noster: *Quæ tulit extrema*. *Extrema nocte*, hoc est, quarta vigilia. *ὄταν τίθηται πύκτος λόγος ἰστέται*, ait Theocritus, & tunc sunt insomnia vera, si eidem & Horatio credimus. Quod extrema igitur nocte somnium hoc viderit, & ab eo verum esse intelligi vult, ipse indicat, quum ait:

- quum summo Phæbus prospexit ab ortu,  
Prestit languentis lumina sera quies.

14 *I T E* *procul vani*) Lege ex eodem libro:

*Ite procul. vanum falsumque auertite visum.*

15 *D E S I N I T E* *in votis*) Lege: *in vobis*. *Definite* o insomnia, quærere vt in vobis fides reperiat. *Diui* enim vera monent, non vos. *Exta* indicant mentem Deorum: contra somnia ludunt hominum mentes.

20 *A T* *natum in curas*) Hæc omnia vulgus interpolatorum conspurcauit. Scripta lectio nullo modo mutari debet.

*Et vanum ventura hominum genus omina noctis  
Farre pio placant, & saliente sale.*

Continuanda autem cum præcedentibus. *Somnia*, inquit, iubent pauidas mentes falsa timere, & homines vani noctis omina mola falsa deuenerantur.

Pag. 123, 8 *S P I R A B A T* *Tyrio murrhea*) Virgilius: - *crimes  
Vibrati calido ferro, murrhaque madentes.* Horatius:  
*Murrheum nodo cohibere crinem.*

Vbi tamen vetus interpres Pomponius Porphyrio: *colorem*, inquit, *myrteum* in crinibus hodie quoque dicunt, qui *medius est inter flauum & nigrum*. Vt videatur in Horatio *myrteum* legisse, non *murrheum*. Et sane in hoc etiam Tibulli loco liber noster habet scriptum *myrtea* non *murrhea*. Et color ille, de quo scribit Porphyrio, non in crinibus solum dicebatur, sed in alijs quoque rebus. Petronius: *Myrtea subornatus gausapia, cinguloque succinctus*. Plinius de amomo: *frutice myrtilloso*. lege *myrtillo*. Dioscorides: *ξύλον ἰστέται*.

A *κίππος*. Columella: Myrtilo modo crine vires. nam Cinaræ  
flos, *κίππος*.

Pag. 124, II M E N S est mutabilis illi) Vetus scriptura, *illis*,  
comprehendit omnes feminas.

13 S A E V V S amor docuit) Hæc elegia cum toto libro,  
icem & quarto extat in Bibliotheca clariss. viri Iac. Cuia-  
cij. Quod fragmentum emendatissimum est, & eius ope  
multa menda in hoc poeta sustulimus. Illud igitur Frag-  
mentum aliter hos versus legit, vt appareat, quomodo ho-  
die leguntur, interpolatos esse. Ita igitur habet:

*Senus amor docuit validos tentare labores.*

*Senus amor docuit verbera seu pati.*

Quare ita emendato.

27 P R O M I T T I T Delius ipse Felix. hoc alium) Plane li-  
ber ille optimus habet, *Felix hoc*. non, vt editiones, *Felix, ac*  
*alium*. Sed harum interpunctionum confusione pulcher-  
rima antiquitatis obseruatio obsolescit. Ita enim distin-  
guendum: *Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse.*

*Felix hoc, alium desine velle virum.*

B Nam in conditione conuenta nuptiarum, aut sponsalio-  
rum, dicebatur Feliciter, Felix hoc fit. Quod bene vortat  
tibi, & mihi. Iuuenalis:

*Signate tabule, dictum, Feliciter.* - Plautus:

*Que res recte vortat mihi que, tibi que, tue que filie*

*Filiam tuam mihi uxorem posco, promitte hoc fore.*

cod. F E L I X, Felix simpliciter, & *Felix hoc*. vt Bene ha-  
bet, simpliciter, & Hoc bene habet. Bonum fit, & Hoc  
bonum fit.

Pag. 125, S C A N I B V S submissa) S V C C I N C T A. Ex veteri-  
bus libris.

8 E T diris non habitanda) vel, vt vetus scriptura, *duris*.  
hoc est barbaris, vt dixit Scythiæ tellus.

13 N O S tenet) Plane ex contextu ipso legendum Vos.  
quod iam a doctis viris animaduertum.

16 N V N C autem sacris Baiarum maxima) Maxima Baia-  
rum, quia omnia *Γεργαία* v̄ *δεξτε* vocabantur Baiæ, a Baijs  
illis Campaniæ. Martialis:

*Strataque non vnas cingant triclinia Baias.* Sidonius:

*Ibis Phocida, Sextiasque Baias.*

k. iij.

Mirantur tamen docti viri quid sit hic Baiarum, adeo ut integram lectionem contaminare veriti non sint. Mens Tibulli. Aqua hæc non aduenda Caniculæ sidere confecto, at vere nulla calidæ aquæ cum illa comparandæ. Vides aperitissimum sensum. Quas autem aquas intelligat in Etruria, quæ plurimæ in ea regione fuerint, nescio. Strabo: πολλὴ δὲ τῆς ἡμετέρας ὑδάτων ἀφθονία καὶ πλεῖστα τῶν ἐπιπέδων δὲ τῆς ῥώμης ἐχθρὸν βλάσφει τῶν ἐν βαίαις, ἀδυναμίαται πολλὸν πάντων μελίσι.

20 *N V L L I temeranda deorum* ] Hæc quoque lectio extat in codice infimæ vetustatis, sed diligens librarius *Deorum* expunxit, & sua manu eodem tractu, *virorum* apposuit, quod verissimum est. Non enim attinet de dijs loqui, quum pœna irrogata sit hominibus, qui sacrum Cæris & Proserpinæ vulgarint. Horatius:

- *vetabo qui Cæris sacrum*  
*Vulgarit arcane, sub iisdem*  
*Sit irabibus, fragilemque mecum*  
*Soluat phæsellum* -

21 *L A V D A N D Æ deæ* ] τῆς ἐπαυτῆς προσφονείας. Proserpinæ & Cæris sacra intelligit, quæ alij *μυστήρια*, & initia vocant.

23 *N E C cuiquam certa venena* ] Fragmentum illud peructustum: *trita venena*, recte potest & *tetra venena*.

24 *N E C nos sacrilegos templis admouimus ignes* ] Locus deformatissimus, & à Grammatistis, quia non intelligebant, interpolatus. At nemo vidit vnquam sacrilegum incendere templa, ut ea spoliaret. quid enim spoliabit incendiarius, cui ignis nihil reliquum fecerit? Nostri scripturas:

*Nec nos sacrilegi templis admouimus egros,*  
 Quod sane non ita debuit istis acutis correctoribus displicere, ut saltem non considerarent, vera ex illis lectio elici posset necne, quod tamen fieri potest, ita:

*Nec nos sacrilegi templis admouimus ergo.*  
 Nec, inquit, sacrilegi ergo admouimus nos templis, hoc est, direximus nos in templa, eorum diripiendorum causa. Sic supra: *Num feror incestus sedes adisse Deorum,*

*Sætaque de sanctis deripuisse focus?* Item:

*Aut rapiam suspensa foci insignia sacris.*

Veram igitur lectionē dicamus licet, quam proposuimus.

25 *NEC nos insane meditantes iurgia lingue*] Tale illud:  
Num Veneris magna violani numina verbo?

Pag. 126, 1 *QVID fraudare iuuat vitem*] Tale illud:

- Quid messes vr̄is acerba tinas?

14 *SEV nos fata fuisse velint*] Abstinet mentione mortis.

Plautus: *pene hic nobis fuit Phronesium*. id est. μικροδ' ἀπέθανε.

16 *ET ninei lactis pocula mista mero*] similis potio illi quam  
Buttranicam appellabant.

23 *ET nobis prona funde Falerna manu.*] Mallem:

I, nobis prona funde Falerna manu.

Nam EI, pro I, scribebant. Sic infra:

Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.

Vbi idem error vulgo.

31 *ILLE facit dices animos deus*] Lepidissimum asma  
Bacchylidis extat apud Athenæum in hanc sententiam.

γλυκεῖ' ἀθάλη στυομδρα κυλίχων

δαίλπισι θυμὸν Κύπριδος,

ἕπης δ' ἀθύσσει φρένας

ἀρχιμυγμδρα διονυσίσι δαφοῖς.

ἀδράσι δ' ὕψατάς

πέμπει μεέμνας.

αὐτὸς μὲ πολέων

κρήδεμνον λυέι,

πᾶσιν δ' ἀδύρωποις

μοιαρῆσιν δοκέι'

χρυσῶ δ' ἐλέφασί τε

μυρμαύροισιν οἴκοι,

ποροφόροι δέ κ' αἰγλήνετα

νῆες ἀχρυσ' ἀπ' αἰγυπῶν

μέκιστον πλοῦτον,

ὡς πῖσι πὸς ὄρμαινε κέαρ.

Pag. 127, 9 *QVALES his pœnas deus hic*] Et hæc quoque non  
assequenti peruerterunt homines ferreæ frontis. Nam opti-  
mum illud fragmentum ita legit:

*Qvales his pœnas qualis quantusq; minetur.* Sic Virgilius:  
k. iiii.



Nam qualis quantusque caso Polyphemus in antro.

II ILLA QVE si qua est ] Nihil mutandum. & si qua est eiusmodi, vt Agave, sentiat vltoris dei iram, non autem nos. ætati & capiti illius fit, quæcunque illa est, non nobis.

II HEI mihi difficile est ] Ineptissime hæc sunt separata a superioribus in libro infimæ vetustatis, & in alijs editionibus. Nam hæc sunt, vt superiora, in quibus nihil omnino cohæret. Sed non aduerterunt imperiti homines, quid sibi vellet Tibullus. Sunt enim hæc omnia tanquam Saturæ quædam συμποσιακὸν ἀσεισμάτων. Quod sane imprimis considerandum fuit.

3I NEC vos aut capiant ] Aliter hæc concepta sunt in Eclogario:

Nec vos decipiant pendentia brachia collo,

Nec capiat blanda sordida lingua prece.

Quod non dubium est, rectum esse. Per hæc enim intelligit auaram & petacem amicam.

Pag. 128, 9 PERFIDA nec merito ] Distingue:

Perfida, nec merito nobis inimica merenti. Sic Catullus:

-insperantique ipsa refers te Nobis. Insperanti nobis, vt hic merenti nobis. Virgilius. Vos o Calliope.

IO PERFIDA sed quantum perfida cara tamen ] Euripides Phœnissis: φίλος μὲν ἐχθρὸς ἐγένετ' ἀλλ' ὄμωσας φίλος.

13 NOSTRÆ conuiuia mense ] Hæc enim, vt dixi, omnia sunt συμποσιακὰ ἀσεισμάτων.

16 TV puer & liquidum ] Fragmentum illud emendatissimum. Tu puer i, liquidum. Nam, vt supra dixi, scribebant EI, pro I.

cod. FORTIVS adde merum ] Ita interpretatur τὸ ζῶρον. Martialis largius.

## IN LIBRVM QVARTVM ALBI TIBVLLI.

Pag.  
129, 4

TE MESSALACANAM ] Istud poematum in Fragmento illo, quo vetustius exemplar Tibulli extare non puto, titulum habebat: PANEGRICVS MESSALAE. Et recte. Eius argumenti scripserunt Lucanus

A in Pisonem, Aufonius in Mosellam, Claudianus in aliquot viros illustres, Sidonius etiam in non paucos. Ego autem crederem hoc carmen excidisse Tibullo admòdum adolefcenti aut potius puero, nisi viderem tunc scriptum fuisse, quum iam patrimonium prodegisset. Id enim *πυδα-εωδες* & ieiunitas scriptionis facit. Denique si titulum Tibulli non præferret, ego illud infimo poetæ attribuissem: adeo hęc sui dissimilis est Tibullus. Nunc quia sine vilo dubio Tibulli auctoris est, non Tibulliani characteris, ego potius quis scripserit, non quid scriptum sit æstimans, paucas horas ei emendando impendam. Nam sane hæc Latina sunt.

cod. *Q V A N Q V A M mea cognita virtus*) Lege, vt in veteri scriptura, *Quanquam me*. *Quanquam*, inquit, mihi conscius quam tenuis virtus mea sit, vt vires non possint subsistere. *Virtus*, quod hic dicitur, vulgo in idiotismo *sufficiencia* dicitur. *Quare* grauitè peccarunt, qui legebant, *quanquam tua cognita virtus*.

B *5 V T infirmæ valeant*) Scribe ex Fragmenti auctoritate, *nequeant*. Antea inepta erat huius principij lectio, vt & sequentium.

*6 I N C I P I A M tamen*) Quia hæctenus principium huius poematij penitus ignoratum est propter importunas interpunctiones, & menda, quibus totum poema scateat: apponam, vt legendum est, vt appareat, quid voluerit Tibullus:

*Te Messala canam. Quanquam me cognita virtus*

*Terret, vt infirmæ nequeant subsistere vires,*

*Incipiam tamen. At meritis si carmina laudes*

*Deficiant: humilis tantis sim conditor actis:*

*Nec tua præter te chartis intexere quisquam*

*Facta queat, dictis vt non maiora supersint:*

*Est nobis voluisse satis. -*

Sane hæc elegantiora quam antea, sunt, vt quæ pristino nitori suo reddita sint. Aperta est sententia. Tamen, inquit, meritis laudes tuas carmine meo assequi non possum, & sim poeta impar tantis actis, nec alius, præter te possit gesta tua mandare literis, vt non plura dicenda dictis relicta videat: tamen egregiæ meæ voluntatis ratio

habebitur, vbi nulla potest facultatis haberi.

II P H O E B O *gratissima dona Cres tulit*) Virgilius quarto optimi maximi operis:

*Qualis vbi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta*

*Deferit, ac Delon maternam inuisit Apollo,*

*Instauratque choros, mistique altaria circum*

*Creteſque Dryopeſque fremunt, piclique Agathyrs.*

Hoc vltimo versu Virgiliano, qui vulgatissimus est, plus affertur lucis huic loco, quam tenebrarum ex dubitatione quorundam, qui putant Soli lumen scenerandum esse.

16 L A E T A *Molorcheis posuit vestigia terris*) Hic, quod scæpe in Catullo, & alijs optimis scriptoribus contigit, T, pro C positum fuit. Nam *ceris*, non *terris* scribendum erat. Cerras, pro quo alij gerras, dicebant. vnde concerræ, qui alias concerrones. Lucilius:

*Tapullam rident legem concerræ Opimi.*

Vbi idem error erat, qui hic, *contere*, pro *concerre*. Nam veteres non geminabant consonantes. Gerræ sunt crates, a quo parietes intergerriui, hoc est concratij. Tales sunt renuorum agriculturalum. Itaque nihil aptius potuit Tibullus super tenuitate Molorchi dicere. Vnde & Gerræ pro friuolis rebus, & forsan ita simpliciter accipiendum in Tibullo. quod perplacet. Vt Græci probent Gerras pro rebus nulli præci accipi, arcessunt auctorem historiam Siculum. Ego non video quare in re tam manifestæ *indæſias*, historia aduocanda fuit. Retinui tamen receptam in quibusdam editionibus lectionem, *tectis*. Aufonius:

*Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis.*

Pag. 130, 4 O M N E *mouemus hoc tibi*) Optimus codex, item & illæ infimæ vetustatis habent, *uouemus*. & recte.

5 N E *tanto careat mihi nomine*) optimus codex cum altero scripto habet, *carmine*. Tantum eonsensum repudiare non debui.

8 Q V I D *qua iudex sub imagine*) Iam profecto istis correctoribus bonam mentem precor. Nam quid hoc sirpi, aut griphi sit, ego non intelligo. Sed optimum fragmentum recte habet:

*Nec queris, quid quaque index sub imagine dicat.*

Quis nescit hic indices esse titulos imaginum? Sed quem

A meliorem interpretem quam Tibullum ipsum producere possum? Ait enim:

*At tua non titulus capiet sub nomine facta.*

17 QVIS QVE tibi maiora gerit] Si Tibullus ab inferis excitetur, hæc non agnoscat. Melius optimus liber:

*Nam quis te maiora gerit chartisue foroue?*

*Nec tamen hic aut hic tibi laus maiorue minorue.*

Pag. 131, I NON valuit Cyclops captos] Hæc quoque quomodo agnosceret Tibullus pro suis, quæ ne in somnis quidem cogitavit? Ope igitur illius optimæ membranæ legimus:

*Non valuit lotos captos auertere cursus.*

Recte captos. Nam notū quid acciderit πῖς λωτοφαγῶσι. Tamen captos, quod vulgo legitur, non damno. Nam cuius stuporis erat hic Cyclopi mentionem facere, cui rei dicatus est sequens versiculus?

6 NOBILIS Artaciæ gelidos] Optima membrana erigit non irrigat. Lego:

*Mobilis Artaciæ gelida quo se exigit vnda.*

3 Mobilis, vt Horatius: Mobilibus pomaria riuus. Exigit pro erigit, X pro R. quod aliquando in his libris accidisse supra retulimus. Ouidius:

*Et celer admissas exigit Ebrus aquas.*

cod. ARTACIÆ]

ἡ μὲν ἀρὲς κρήνην κατελήστω καλλιρρήδρον

Ἀρτακίω. ἐνθεν γὰρ ὕδαρ ᾠερῆ ἄστρ φέρεσκον.

16 ILLVM ter gemine] Optimum Fragmentum: *Illum inter geminae*. Ita etiam olim vix dum ephebos egressi emendaueramus. geminam mortem vocat Scyllam, & Charybdin.

17 NEC Scylla seuo conterruit impetus orbe] Lege ore ex eodem fragmento. *Scylle impetus* est ἀείφρασις. hoc est Scylla ipsa vasta. Lucretius dixit cæli impetum pro cælo.

30 QUALITER aduersos hosti defigere nervos] Germanus Valens Pimontius, vir & eruditione, & dignitate amplissimus, in suis in Virgiliū doctissimis commētarijs docet nos legendum esse *Cervos*. Quod quis non credat præsertim tam eruditi viri auctoritate permotus? Quid sit si-

gere Ceruos non minus potes ex Seruio discere, quam ex A  
Cæsare, qui sint Cerui.

Pag. 132. 2 L A V D I S & ad siduo ] Exercitationem campe-  
frem intelligit.

9 P A R M A seu quos dextra velit ] Quid ego istis torto-  
ribus librorum amplius optem, quam vt ab hac scabie,  
qua illos laborare video, vngues teneant? Certe actum est  
de illis, si nullum bonum auctorem, quem corrumpant,  
habeant. Hominum fidem, hunc locum quo genere de-  
formarunt? Nam ita omnis vetus scriptura eum conce-  
ptum habet: *Quis parma seu dextra velit, seu leua tueri,  
Sive hac, sive illac veniat grauis impetus haste,  
Amplior, aut signata cita loca tangere funda?*

15 T V M tibi non desit faciem ] DESIT COMPONERE  
loquutio etiam Propertio vsurpata.

*Et mihi non desunt turpes pendere corollæ.*

16 S E V fit opus quadratum ] Tria genera aciei instruenda  
apponit, quadratum, duplex, pilatum. Varro medium  
ignorat, duo reliqua testatur. Duo, inquit, sunt genera agmi-  
num: quadratum, quod immixtis etiam iumentis incedit, sed inter  
se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur. Scaurus  
de vita sua: In agrum hosticum veni. pilatum exercitum duxi.  
id est, strictum & dense. Afellio Sempronius: Quartum si-  
gnum accedebat, sive pilatum, sive passim iter facere volebat.

18 S E V iunctum carnere Martem] Hoc est pilatum.

19 D E X T R A Q V E vt leuum ] Neque hæc minore me-  
dicina egent, quam superiora. Quare ita auctoribus ve-  
teribus libris lege:

*Dexter vti leuum teneat, dextrumque sinister*

Miles -- Hic est traiectio facta. Nam hoc est plane  
duplex acies, non pilata: quare non ad I V N C T V M refe-  
rendum, sed ad D V P L E X.

23 I A P Y G I A E ] Vitiosa scriptura, quum sit Iapidia, ita  
omnes auctores. & libri nostri calamo exarati. & Strabo  
ἰαπυδία. Iapidis ora Timani. Virgil.

24 F A L L A X Pannonius] quare fallax? Dio de hoc bel-  
lo, libro X L I X. πηλοισαντες ὃ ἀπὸ τῆ πόλεος οἱ ὀπι-  
θῆσαι ἐβουλήθησαν καὶ τῶν δυνάτων ἀναπείσαντες ὁμο-

λόγησάν τε αὐτῶν, καὶ ὁμίροισι ἔδοσαν. μὲν δὲ τῶν ταῦτε πύ-  
 λας ἀπέκλεισαν καὶ ἐς πολιορκίαν κατέστησαν. Persequitur au-  
 tem fusius hanc historiam Dio ipse eodem libro, in quo  
 perperam editum est *Ἑσπία* pro *συκία*, quæ est vrbs Pan-  
 noniæ. Cæterum hoc bellum non auspicijs Messalæ pro-  
 fligatum, quicquid nobis persuadere conetur Tibullus.  
 Neque in nationibus in alpinis vllum Marte suo confecit  
 præterquam id, quo Salassos vicit. Dio: *Ἐὶ τε σαλασσοῖς,*  
*καὶ τοῖς αἰλοῖς τοὺς μὲν αὐτῶν νεωπερίστατος ὁ μεσسالᾶς*  
*βαλέριος ἐχθρότατος.*

25 TESTIS Arripinus] Legimus, *Arripinis*. quod etiam  
 confirmat emendatissimum fragmentum. Strabo de hoc  
 ipso bello Iapidico scribens, de quo nunc sentit Tibullus:  
*Ἐὶ δὲ ὅτι ὁ Καπυδικὸς ὠρεῶν πλοῖς χιλίων σαδίων. Ἰδρωτῶν*  
*ἃ οἱ ἰάπυδες ἔπι τῶν ἀλβίων ὄρει πελοταίῳ τῶν ἀλπειῶν ὄρει*  
*ἠψιλῶ σφόδρα τῆ μὲν ὄρει τοὺς πανονίους καὶ τὴν ἴσρον καὶ θήκον-*  
*τες, τῆ δὲ ἔπι τῶν ἀδριακῶν ἀρεμάνιοι μὲν, ἀκτιπιομηνοὶ δὲ Ἰσπὸ τῶ*  
*σέκαστος καὶ σφόδρα πλέως. πόλις δὲ αὐτῶν μέγιστος, ἀρούπινος,*  
*μορήπον, κένδρον.* In itinerario Antonini in itinere ab Aquil-  
 icia per Liburniam: *Auendone, Arripio, Bibium*. *Legæ: A Ven-*  
*do Arripinum.* Omnino his Strabonis verbis obscuro lo-  
 co Tibulli lux adfertur. Legebam etiam *Arripinas*, vt fit gen-  
 tile. quod malim: vt sit pauper Arupinas.

cod. PAVPER) Quare pauper mox subijcit Strabo:  
*λυπρὰ δὲ τὰ χεῖρα, ἔσεια κὺ κείχρω τὰ πολλὰ τρεφόμενοι.*  
 Ergo κατ' ἔσχῶν. *Pauper.*

cod. NATVS in armis) Iam explicauit Strabo, quum  
 vocat *ἀρεμάνιοις*.

30 CONVERSVS terga dator] *Domator, παλοδέμνης.*  
 Sed suspectum est de mendo.

Page 133, 21 N E C *feræ Rhæteo*] Ita hunc locum deprauarunt,  
 qui veterem scripturam non assequerantur hanc, *Nec feræ*  
*tereæ*. Vnius literulæ commutatione legendum, *te Tyrio*.  
 tellus habitata Tyrio colono est Africa profecto, aut cedo  
 sis aliam, in quam coloniam miserint Tyrij. Est igitur Afri-  
 ca, quam tacere non debebat Tibullus; quum totum orbem  
 hic trophæis Messalæ implet. Mirum vero tantum vi-

rum Messalam in omnibus bellis a Dione prætermisum: & Appiano, præter pauca admodum quæ de eo dixit, quibus breuiter ipsius laudes perstringit.

23 *VEL regia lympha Diaspes*] Nulla est mutatio in veteribus libris, ne in optimo quidem. Vocat igitur Diaspem, quem alij Choasphem. Notum ex Herodoto quid velit, & Aufonio:

*Hunc cuperes, Rex Mede, tuis contingere castris  
Flumina consumpto quum defecere meatu,  
Huius fontis aquas peregrinas ferre per vrbes,  
Vnum per cunctas solitus portare Choasphen.*

27 *CYRI dementia Cynus*] Hunc vocat Herodotus Gyn-den. Quare ita legendum videtur, vt iam ab alijs animaduersum.

25 *CRETÆIS ardens aut vnda Carystia campis*] Mendosissimus locus, ita tamen vt etiam in codice infimæ vetustatis eadem lectio reperiatur. Quare non hodie atque heri inoleuit hæc macula huic loco, sed morbus, vt video, inueteratus est. At peroptimus ille, quem tam laudamus, habet:

*Ardet Arecteis aut vnda perhospita campis.*

Recte ita me Deus bene iuuerit. Arectei campi, sunt quos Strabo *Ἀρεκτινοῦς* appellat, mendose sane, quum sit legendum *Ἀρεκτινοῦς*, vt ex hoc loco apparet, & ex Geneleos capite decimo, vbi mentio fit Herois illius Nemrodi. *Eius*, inquit, *regni caput fuit, Babylon, Arec, Acad, & Calne in terra Senaar.* Ab hoc igitur Arec, *Ἀρεκτινῆ* & Atactei campi. in illis campis est lacus ardens, cuius meminit Plinius libro secundo: *Campus*, inquit, *Babyloniae flagrat quadam relictis piscina, ingeri magnitudine.* Qui ridiculam illam lectiorem vulgata pro hac nobis supposuerant, habebant in animo *ἑρμα λουτρα* quæ sunt ad Caryston Euboeæ. ingeniosi & astuti homines, qui qualuis calidas aquas statim ardere putarent. Atqui esto. cur iterum rediret in Græciam Tibullus? Nam in ea est Euboca. At non nisi nunc de remotis gentibus agit. Nos igitur ope peroptimæ membranz tam fœdas maculas ex hoc cultissimo auctore sustulimus. *Hospita vnda, Græcum est ζῆνι?ουσα.* hoc est mira,

Melius legeretur: *Ardet Areceteos aut vnda per hospita campos.*  
sic infra - *secundas ad deficientia messes.*

25 P A D A E V S ] Padæorum mentionem habes apud Herodotum.

28 A T Q V E M o s y n o s ] *Magynos & Maginos* habent libri nostri. *μωσυνωίκους* cogitabant, qui turres pro hominibus nobis supposuerant. Nam *μῦραι* sunt Falæ lignæ. At *μωσυνωίκαι* populi in Falis habitantes. Sed qui sint Magyni ipsi, aut vnde explicatus sit Tibullus, nondum reperi, quia quærere otium non est.

31 T E m a n e t i n u i c t u s ] Inuictus sane adhuc eo tēpore. Nam hæctenus ne Cæsar quidem illos subingauit. Primus Cæsarum Claudius de illis triumphauit. Cuius rei amplissimum testimonium habes in Catalectorum meorum libro primo, nempe elegantissimos versus a quodam eius temporis poeta scriptos. quos inde petas licet. Sed & Seneca in *Ἀποκροτικῶν* idem testatur in choricis anapæstis. Et *ceruleos Scotobrigantæ*, pro quo ineptissime hodie editur *Scuta Brigantæ*. Quare & Scoti hanc gentis suæ antiquitatem mihi debent, qui primus illum locum emendauit: quum ipsi hæctenus suæ gentis testem Claudiano antiquiorem non haberent. Sed & locus in Octauia alterius Senecæ de eadem re deprauatissimus est, qui tamen ad hanc rem facit. Ita enim ediderunt:

*En qui ora Tanais primus imposuit iugo.*

*Ignoratantis clasibus texit freta.*

Loquitur de Claudio Cæsare. Legendum sane:

*En qui Britannis primus imposuit iuga.*

Pa. 134, 7 S V P E R I N G E R I T ] *superegerit* est in duob. nostris.

19 P E R t e m p o r a l a b i t u r a m i s ] Codex infimæ vetustatis vertitur. *ἄεθλοιδύων ἐπιαιτών.*

25 E R G O v b i p r æ c l a r o s p o s c e n t ] Liber optimus habebat *ierint, non poscent.* Ergo legendum *per claros.*

*Ergo vbi per claros ierint tua facta triumphos.*

Paq. 135, 3 F O E C V N D I S i n d e f i c i e n t i a m e n s i s ] Legebamus olim:

*Cui fuerant flauī ditantes ordine sulci*

*Horrea, secundas ad deficientia messis.*



Messis pro messes, pro quo excuderant *mensis*. Sed postea a coniecturam nostram confirmauit liber optimus, in quo & *messes* disertim scriptum erat.

7 QVVM memor accitos] Lege *anteactos*, vt habent libri nostri scripti.

13 DEN SIS *obstere turmis*] Libri nostri *subsistere*. Sic Linius *subsistere feris*. ὕψισα. Συ τὰ ημεῖα. Ergo hanc lectionem retine.

18 NEC mallem mittere *chartas*] Vincere liber optimus.

19 MVTATA *figuram*] Lego ex libro nostro, *figura*. Seu figura finget me.

23 IN *quencunqve*) optimus liber *Quandocunqve*. Pag. 136, 20 PROXIMVS *eois colligit Indus aquis*] Lege, *equis*. Supra Theodectes: ἄς ἀχίερον ἡλιος διφρηλατών. &c.

23 MVLTO S *celebretur in annos*] Veteres omnes libri: *hoc sumet in annos. lego, consumet.* pro consummet.

28 ACVISSE *in pectora dentes*) Repone ex optimo libro: - *acuisse in prelia*.

30 VENANDI, *Delia, cura*] scribe, *denia cura*. nec in tam deuijs saltibus veneris. *Delia* sane huc non pertinet.

Pag. 137, 13 RETIA *tende manu*) Repone ex libris, *tange*.

14 ET *quacunqve*) At *quacunqve*. Libri.

27 TECVM QVE *feras quicunqve sapes*] *Sapores*, χυλοί. Græco more dixit. Et Plinius de papauere: E nigro papauere sapor gignitur scapo inciso, vt Diagoras suadet, quum turgescit: vt Iolas, quum deflorescit, hora diei sereni, hoc est quum ros in eo exaruerit. Hæc Plinius, qui postea succum vocat, malo exemplo, quum aliud sit χυλός, aliud ὀπός. Nam male vocauit saporem, quam lacrimam dicere debebat. Sapor enim vel χυλός fit expressione, non autem sponte manat.

Pag. 138, 13 EST *qui te Cerinthe*) Scribe, vt in optima membrana, *Qui mihi te, Cerinthe*.

21 MANE *Geni*) Scribe, *Magne Geni* -

22 QVVM *de me cogitat ille calet*] Propius veritatem accedunt editiones, quæ habent, *valet*. Nam ex veteri libro legendum *valet*. Si modo, inquit, idem amor vrit illum, qui me. Infra:

*Ah ego non aliter tristes euincere morbas*

*Optarim.*

*Optarim, quam te si quoque velle putem.*

Hoc est si te parigne vri putem.

Pag. 139, 2 QUID *refert clamne palamue roget*) Supra indicauimus superstitionem veterum in votis tacite concipiendis. Apuleius: *Tacitas preces in templo Deis allegasti. igitur magnas es. aut cur optasti?*

12 VLLI *non ille puella*) Libri nostri vllē ἀρχὴ καὶ ῥῶς.

17 TER *tibi fit libo*) Varro: *Hiscē maniabus lacte fit non vino.*

19 ILLA *aliud tacita iam sibi*) Lege auctore optima scriptura, I A M S V A. Iam sui iuris, non ex praescripto matris. Pendet hoc ex eadem stulta religione votorum tacite concipiendorum.

22 SIT *iuueni grata adueniet*) In libris nostris V E N I E T. Lege igitur:

*Sic iuueni grata, veniet quum proximus annus.*

Grata hoc est gratare.

23 HIC *idem votis iam vetus adstet amor*) Liber infimae vetustatis E S S E T A M O R. Quod retinendum est. Iam, inquit, votis proximum annum inuocat, vt iste iam vetus esse videatur. Si vota spectes, quae faciunt, iam putes eos plurimos annos amare. iam vetus videtur eorum amor. Eorum enim votorum festinatione videntur properare anni. Sic Petronius - *votis absentem interficit hostem.* & Oedipus ille apud Sophoclem: - ἐγὼ δ' ἔδ' ὠρέσε

ἀλαστός ἐργούς. εἴπ' ἡμῶν πῶτα

καὶ ἐφ' ἦτο. - Nisi, inquit, votis ipsum interfeci, nisi imprecatione mea mors illi properata sit.

30 DICETVR *si quis non habuisse suam*) vetus liber, sua hoc est gaudia. Vtro modo legas parum interest. *Mea gaudia, πῶμα παύθηκα,* meos amores. Val. Cato in Diris.

*Inuideo vobis agri, mea gaudia habetis.*

32 NE *legat id nemo*) Duæ negationes pro vna. Proptertius: *Absenti nemo non nocuisse velit.*

Pal. 140, 1 VVLTVS *componere*) Prouerbiū est, καὶ ἄνευ ὠρέσε

4 INVISVS *natalis adest*) Messala amavit Sulpitiam. Hæc est, ni fallor, quam Messala carminibus suis celebra-

L. j.

uit, de qua Virgilius in Prolusionibus scribens ad Messalam ipsum:

*Certatim ornabant omnes Heroida Diuæ.*

*Certatim Diuæ munere quæque suo.*

*Felicem ante alias tanto scriptore puellam.*

Nunc Messala eam rus ad natalem suum celebrandum inuitat in agro Eretino. Illam piget eo ire, quia relinquendus esset Cerinthus, sine quo omnes epulas insuaues, omne solenne festum, nefastum putat.

6 AN *vlla sit apta puellis*] Nostri libri, *puellæ*. & sane de se non de alijs loquitur.

7 A T Q V E *Eretino*] Assentior doctis hominibus, qui *Eretino* legunt, quia *Aretium* nimis longinquum esset, quam vt puella ab vrbe eo animi causa deducenda esset. Præterea superius libro primo dixit fundos possedisse in finibus Albanis, & Tusculanis. *Eretum* vicinum *Trebula*, vt testatur Strabo. Meminit Virgilius: *Ereti manus omnis*. Totus autem ille tractus gelidissimus, vt pote quum intra montes porrectus esset. *Martialis*:

*Humida qua gelidas submittit Trebula valles,*

*Et viridis cancri mensibus alget ager.*

Puella igitur conqueritur se in frigidissimum agrum abduci, & quod familiam ducit, sine Cerintho suo. Ineptum vero putare hic *amnis* legendum esse, quum amnis quantumvis frigidus nihil nocere possit. ineptius vero aquas vicinas frigidas hic putari innui, quod video quibusdam placere. quas aquas *καλὰ ὕδατα* codex vulgatus Strabonis vocat, quum legendum sit, *ἀλγὰ ὕδατα*. sed sine dubio legendum *frigidus annus*, non *amnis*. Conqueritur se diuelli a Cerintho tempore anni inclementissimo in agrum frigidissimum. Ita loquuntur veteres, vt Plancus Ciceroni, *Copias tempore anni eduxi*. Græcum est *ἀεὶ ἐ τὸς*. Sane hæc est vera lectio, quam hic proposuimus. An, inquit, opportune hiems transigaretur frigidissimo agro? Vide quas difficultates proponit; hiemem, agrum frigidum, puellam se, vrbe carere, abesse a Cerintho.

8 I A M *nimum Messala*) Noli nocere, dum iuuare putas. hoc est enim, *nimum studiose*.

9 N O N *tempestiue*) Qui sæpe te accingis itineri in-

rempestiuo. Est enim anni tempus asperriuum. Quare hæc confirmant emendationem nostram, *frigidus annus, pro frigidus annis.*

10 *HIC ANIMUM*] Quanuis alio abducta, tamen Romæ, ubi Cerinthus est, animum, sensusque meos relinquo. Quanquam negare non possum, me vri amore tui. Hoc enim est, quod ait: *Arbitrio quanuis non finis esse tuo.* Nam qui amat, suus non est. quanquam potest esse: quanuis tu arbitrio meo non finis esse Romæ. quod melius est. Est autem molliissimum, ac delicatissimum epigramma, & Tibulli Musa dignissimum. Et, nisi fallit me iudicium meum, hæcenus eius sententia obscura fuerat.

13 *SCIS ITER EX ANIMO*] Hæc verbis suis Tibullus ad Messalam. Scis, inquit, Sulpitiâ a professione illa in agrum tuum destitisse. Quare quum illa obfirmarit se non ituram, nos sine illa natalem tuum celebremus.

14 *NATALI ROMÆ NON FINIT ESSE SUO*] Diu est, quum hic versus corruptus est. Ita enim codex infimæ vetustatis habet. At optimus ille longe aliter, nempe:

*Natali Romæ iam licet esse tuo.*

Iam, inquit, illi licet esse Romæ, dum tu celebras natalem tuum rure. Sustulit enim iter ex animo. Hoc est, decreuit non ire. Sane absque illa optima membrana nullus verus sensus ex hoc epigrammatico elici poterat.

18 *GRATVM EST SECVRVS*] Gratum est, inquit, o Cerinthe, quod tam libere fateris te securum esse, ne in te peccem turpi adulterio. Apage cum tua illa securitate, dignus non ingenuo amore, sed aliquo prostibulo, aut quasillaria muliere. Satis sollicitè obseruant me riuales tui, & diligenter ac curiose cauent, ne id flagitium committam: quos illa pudicitia mea, quæ facit, vt ne alij viro succumbam, acriter vrit. vellent enim & sibi morigera esse, & facerem id, quod tu te tam secure ais negligere, quum ais te non vehementer curare, ne male inepta cadam, hoc est, ne peccem alio viro. Hæc, quia obscura erant, fufius a me contra morem meum explicata sunt. Non enim satis ea vulgus allèquebatur. imo Sibyllæ folium illis erat hoc poematum acutissimi argumenti.

20 *SIT TIBI CURA TOGÆ POTIOR*) Togatam, & quasillariam

lij.

ancillam simul coniungit, vt Horatius:

- bonam deperdere famam,

Rem patris oblimare, malum est, vbi que (quid inter-  
Est?) in matrona, ancilla, peccesue togata.

Ita legendus locus ille apud Horatium: qui vulgo male ab  
interpunctionibus laborat.

cod. PRESVMQVE quasillo) Intelligit, vt dixi, ancil-  
lam quasillariam. Petronius: Nec contenta mulier tam graui  
iniuria mea, conuocat omnes quasillarias, familiæque sordidissi-  
mam partem. Iuuenalis:

Horrida quale facit resiliens in codice pellex.

Quasillariam in: elligit.

22 SOLLICITI sunt pro nobis) Fingit alios amatores  
sibi esse, quibus dolet, quod vni Cerintho addicta sit. fin-  
git, inquam, vt iam tepentem pueri amorem accendat.  
Quod sane non potest dici, quam venuste ab erudito  
poeta commentum sit.

23 MAXIMA cura) Repone, vt libri, & primæ editio-  
nes habent, MAXIMA CAUSSA. Causa ne credat igno-  
toro, est amor, quo vnicum Cerinthum complectitur,  
fides, quam integram illi vni seruat. ignotum torum,  
quemuis alium, cui succumbat, intelligit.

26 ESTNE tibi Cerinthe) Male cum aspiratione prima  
syllaba huius nominis scribitur. est enim Κερινθος. Huius  
etiam formosi meminit Horatius Sermonum primo, Sa-  
tyra secunda. Pendet autem hoc epigramma a præceden-  
te. Verum enim est illud: Amantium iræ amoris redin-  
tegratio est. Sulpitia volens amorem suum dissimulare  
Cerinthum cum illa responsione, quam superius vidimus  
reliquit. Nunc amoris impotentia incidit in morbum, &  
fatur adolescenti se non alia via posse malo succurrere,  
quam si sentiat illum amore sui mutuo vri. Denique aper-  
te fatetur se nihil tota vita sua stultius fecisse, quam quod  
illum deseruit, studio ardorem suum dissimulandi.

30 NAM mihi quid prosit) Nostri codices:

Ah mihi quid prosit morbos euincere?

co. QUID tu) Corruptus locus. Nā legendum - vbitu.

Ah mihi quid prosit morbos euincere, vbi tu

Nostra potes lento pectore ferre mala?

A. Nam libri illi habebant *lento*.

Pag. 147, I *NE tibi sim mea lux*) Iurat. Opat sibi euenire contrarium voto suo, ni pœnitet se, quod eum pridie reliquisset. Votum est, vt ab eo tam feruide ametur, quam paulo ante amata fuerat. Ne, inquit, ita non amare te, vt ante hos dies amabar, ni stulte feci quod te reliqui volens ignem meum dissimulare.

† *HESTERNA quod te solum*) Innuit ea, quæ superiore epigrammate dicta sunt. Scio hæc antea plebi Grammaticorum, & fortasse proceribus Criticis ignota fuisse.

8 *NVLLA tuum titulis*) Nescio vnde illud *Titulis* confluauerunt correctores isti. Libri enim nostri habent, *nobis*. & recte. sententia plana est. Ita autem loquitur Propertius:

*Nec mihi riuialis certos subducet amores.*

9 *HOC primum iuncta est fœdere nostra Venus*) Hoc est *ἡ πρώτη τῶν ἀρχῶν ἐστὶν ἡ ἑστέρνα.*

10 *TV mihi*) *TV MODO* Liber noster.

23 *QVÆ sola ante alios est tibi magna*) Inepte *T I B I*. Lege *M I H I*. vt habent libri nostri. Iuno Genius feminarum. Ait ergo genium puellæ suæ sibi omnium Deorum esse maximum. Notum est feminas iurare solere: Iunonem meam iratam habeam.

24 *HEV cui mea pignora credo*) Inepta lectio, quum libri nostri habeant:

*Quid facio demens? heu heu mea pignora cedo.*

De concidendis pignoribus eorum, qui illis captis absentes coercebantur, Cicero scribit de oratore. Profecto dementem esse oportet, qui sua sibi pignora concidat. Proverbium non notatum, *sua pignora cedere*. Referendum ergo ad illud vetustissimum ius Romanum.

25 *PRODEAT iste timor*) Hæc quoque lectio quam inepta est? Veteres nostri libri, *proderat*. vna litera mutata lege, *proderit*. Ah quid iuravi. iste timor tibi magis proderit. quomodo? subjicit: *Nunc tu fortis eris: nunc tu me audacius vres*. At ij, qui putant se plurimum Tibullum iuuisse, quod ex *prodeat* faciunt *proderat*, & ea pompa nimium quantam vctantur, quam bene hoc modo huic loco cauerint, ipsi viderint. Nam ne tunc quidem constabit sententia. Nam quare diceret se pœnituisse quod iura-

uerit, si illud iusurandum proderat? Contraria plane hæc, & pugnancia. A

31 SED *Veneris sanctæ confidam vinculus ad aras* ] Perfitit ἐκ κωμολογία. Nam quia seruum se dominæ suæ dicit, illius quidem se mancipium profitebitur. sed quia domina in se nimium sæuit, confugiet ad aram Veneris, vt eius læuitiam vitet. Nam duo perfugia habebant serui, aram, & deprecatorum. Vnde illud: *Nec hic tibi aliquam aram, aut deprecatorum paraueris.* De ara habes exempla apud comicos, & in iure de seruis ad statuas confugientibus. Euripides Andromacha:

- ἔχ' ἂν κατὰ φύζην ἦν μὲν πείρα

Δούλοι δὲ βωμοῖς θεῶν.

Deprecatorum autem mentio apud Terentium Phormione, qui precatorem vocat. *Nunc ad precatorem abeam, qui mihi sic oret, &c.* Meminit & Iurisconsultus de Ædilitio Edicto l. xvi i. & l. Bouem. Eleganter ergo hæc Tibullus.

32 HÆC notat iniustos supplicibusque fauet. ] Eadem sententia alibi:

Blanditis vult esse locum Venus ipsa querelis.

Supplicibus miseris stentibus illa fauet. B

Pag. 142, 3 CRIMINA non hæc sunt nostro sine ficta dolore] Et Propertius:

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen.

Tamen libri nostri habebant facta, non ficta.

Pag. 143, 27 TE quoque Virgilio comitem ] In peruetusto illo schedio Titulus huic epigrammatico erat, D O M I T I M A R S I. Quare hoc illi debemus, quod eius ope poema suo auctori asseruerimus. Nam sine illo fieri non poterat. Est autem ex quadam Marfi Elegia depromptum, vt apparet, in qua bonorum poetarum mortem desleret.

6637

6637